



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Vita, Et Gestis S. Francisci Xaverii È Societate Iesv Indiarvm Apostoli Libri Qvatvor

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1666

56. Assiduntas orandi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10854

brata, nunc omnibus nota sunt, cum illic populo sacram diuideret hostiam haud parcius ipsemet particeps gratiae quam eius dispensator; praeter morem enim de genibus ex reuerentia, vitae panem distribuens, illius amore quem tractabat praemanibus inflammabatur eo usque, ut extra se fieret, flexisque ut erat genibus, abstraheretur palmis a terratribus, suspensusque hoc modo in vacuo diuinam ut ceperat Eucharistiam partiebatur in populum. Quibus vero tunc, & quantis perfrueretur deliciis, nihil attinet dicere, vel coniciendum proponere: nulli dubium est, si qua in terris, caeli felicitas, hanc esse omnino, profusa afflatu caritatis a seipso abstractum, in Deum transfundi, illoque sorberi penitus bonorum Oceano, quibus ad satietatem ebrius, ne sui quidem meminerit; tunc demum quaeuis longinquitas temporis punctum est; tunc orbis vniuersus, ad maiestatem, & amplitudinem praesentis in Deo spectaculi euanescebat; cibi, somni, quietis, aliarumque vicissitudinum non percipitur strepitus; sine sensu corpus, velut anima peregre agente; sine usu ac motu sensus; sine ministerio naturae debito, inferiores animae facultates. Quorum omnium exemplum, & expressa imago Xauerius; insuperque illius admirabilis inter quaeuis aduersa laetitia, ac securitatis quam mortem si alibi usquam fomidabili schemate inter naufragia proxima obiecerantem sese, spectauit oculis non modo irretortis, sed etiam latis, & exuberantem caritatis intimae voluptatem dulci lacrimarum profusione loquentibus; quam sereni erga Deum amoris, fiduciam sapientius expertus, de enauigato Zeilani sinu Malacam inter & caput Comorinum, Romam ad Socios, peculiariter sic scribit. [Ego in illa horribili tempestate, obuersante licet ob oculos morte, ea gaudebam animi voluptate, cuius eo defunctus periculo, parem nunquam probaui. Pudet me hominum qui, viuunt nequissimum, tam prope tunc a morte disunctum, mei non satis capacem gaudij, tanta perfulum copia dulcium lacrimarum] Mauro quoque in insula, vitam trahentem inter vitae discrimina arduosam, idem amor liquabat in fletus ita continuos, ut si durasset illic diutius de perdendis oculis periclitaretur. Erant etiam denique voluptates quibus illum diuina implebat caritas, ut humanum supergressas modum, optaret inhiberi, ac minui, quod se illis fruendis sentiret imparem. Hinc illae sub aperta nocte inambulantis in hortulo Goani Collegij, duas inter aediculas sancto Hieronymo, & S. Antonio sacras, audita voces *satis est Domine, satis est*, cum simul vestem, excedenti vitalia aestui laxaret.

56

Assiduitas
orandi.

Nolim tamen post lectos de immensis Xauerij laboribus tres libros, quae iis subiicio lecturum, apud se fingere nihil ei fuisse residuum temporis ad orandum, & agendi fatigatione dies illi tam solide conditos, ut praeter minutias otij luccisui precationi nihil daret; scribit quidem ex ora Piscaria, vel solos pueros quibus Christiana tradebat rudimenta, nullam sibi ad cibum, ad quietem ad pensum diuini officij partem horae vacuam reliquisse. Ex Iaponia pariter, a primo diluculo ad noctem, non licuisse ab

docen

docendo aut disputando respirare. Haud tamen vllus abibat dies quo suum animo non daret pabulum; interdum Apostolus, noctu anachoretus. Dempis enim illis duabus tribusve somni auari horis, reliquum sibi Deus vendicabat: in naui stata illi erat à mèdia nocte ad solem precatio, securis interea de naui sua nautis quòd eam dicerent P. Francisci tutela, & ductu seruari. In vrbe S. Thomæ somno breui refectus, obrepebat in templu tacitus, & ad Regina Deiparæ religiosam effigiem quod noctis supererat traducebat: nec loco abstitit, propositoque illuc redeundi, quamuis, vt diximus ante, pessime à dæmonibus concisus. Manapare suo ab hospite diuersis per noctem temporibus obseruatus, semper genibus flexis ad Christi pedes in crucem suffixi cernebatur, micantibus è facie radiis quibus totum conclauē collucebat. Gox, vt plurimū in templo, breuē corpori somnum, animo multarum horarum captabat contemplationem. Malacæ factarium pro cubiculo habuit; pro strato stoream: inde aram maiorem adibat, & coram Augustissimo Sacramento, & Virginis matris imagine noctem de genibus traducebat, nisi cum interdum labore fractus, caput aræ in gradus proclinabat. In regionibus barbarorum vbi deerant ædes sacræ, nonnunquam etiam in ciuitatibus Christianis, stellarum aspectu ad cœlestia illectus sub dio iucundas exigebat noctes, magnis haustibus illam ducens voluptatū quas memorauimus vbertatem. Quoties vero Sacri esset facultas (quod fere sub auroram facere consuebat) certo id spatio metiri non poterat, quòd ipse, tunc min. mè suus, diuina pateretur, sibi que illum ocyus serius restitueret Deus, sed iis delibutum suauitatis, vt in ministrantes quoque disfluerent. De se quidem narrabat Antonius Andrada iuuenis miles; rogatum ab eo aliquando, vt sibi ad arā ministraret interiori perfusū dulcedine sibi eatenus ignota; & ea captū illecebra, cupiditate illius regustandū cum viro Dei ministerium crebrius detulisse. Indulgebatur per ea tempora, ac inibus valde occupatis, vt quotidiano penso Ecclesiastici muneris, satisfacerent recitatione officij, quod trium vocabant lectionum. Hoc legis priuata commodum magnis licet diuinæ gloriæ negotiis obtutus, nunquam sustinuit adhibere, addebat quin imo singularum horarum initiis hymnum Spiritus sancti, quo dum creatorem Spiritum inuocat, notabatur ore ipso incendi, nempe illo quem poscebat igne iam venas animi vibrante. Sed potui compendio melius precationum eius complecti articulos, scribens, Deo affixum perpetuo illius amorem, nullā vnquam morarum interualla sensisse: suspexere illum, neque immerito eius familiares, reuersum ab opere animarum, vario illo & distracto: non habili solum collectoque in Deum animo ad orandum se statim contulisse, verum in iis item quæcumque tractaret exterius, nunquam ab eo exerrasse, torus in eo quod ageret, nusquam extra illum, pro quo id ageret, nec agens modo amoris instinctu; sed ipso in opere diligens auctorem operis, & scopum: cuius precibus nullis intermissi amoris eminebant subinde in vultu indicia, vel accensus color, vel vnus è cœlo Genij, aut Beati, venerabilis species, quam

quam

quam negabant permulti se firmiter posse obrutu figer, tacita illius reuerentia inuitos quodammodo ipsorum oculos reflectente. Nostris identidem, vel aliis colloquens, leni vocantis susurro excitus, quæ mentis lucem repentina, quæ subitis affectuum motibus percepto; ne astantes grauaret, segregabat se ab iis quanto citius, auditurus quid se vellet ac posceret Deus; requisitus deinde inueniebatur, aut æternis cogitationibus occupatus, aut in sylvæ recessu cruento se verberare discerpens: Intimam quoque prædebant flammam scintillæ affectuum crebræ, & præcularum frequentium ignita iacula latinis plurimum apta verbis, ne caperentur ab audientibus, quarum vna hæc erat. *O sanctissima Trinitas!* vsque adeo illi vicitata vt eam Piscariæ, Trauancoris, & Molucensium incolæ familiarem habere ex eo didicerint, nec desunt qui narrent, etiam cultores idolorum illic, & alibi maxime Barbaros, miro aliquo euentu, periculoso, aut molesto percussos, sustulisse in cælum oculos, vt factitare Xauerium viderant, & *O Sanctissima Trinitas!* exclamasse, ignaros quid dicerent, suspicatos dumtaxat verba esse ad reuerentiam, & inuocationem numinis Sacrosanctæ. Ad extremum hic mentis habitus & consuetudinis cum Deo perpetuæ fingebat etiam amanti ludos, vt quod vigilans serio actitaret, quasi ludens per somnum recontactaret. Hinc sæpe aut illa per nocturnam quietem ad sanctissimam Triadem eius voces, aut hæc ô mi I E S V! ô dulcis I E S V! ô I E S V cordis mei, & similes. Quia ne febrî quidem vehementissima, extra se abreptus, extra Deum exibat; inhærens illi etiam tum, cum apud se non esset; semel præcipue animaduersus est, triduo integro delirans nihil nisi de Deo, aut cum Deo loqui, tam scitè id atque sapienter vt ardere magis accessione caritatis, illius animus, quam æstu febrili caput videretur.

57
Caritas Xaverij
inuisita ma-
li.

Immensam Magni Xaverij caritatem, interiorum nobis affectuum probavit hætenus argumentum, quod expendamus, quod caritatis eiusdem actuosa vis in apertam lucem excellentium operum refusa nobis suppeditat. Hanc de legitimo summeque perfectæ dilecti discipuli, defendamus æstimemusque sensu, *Perfecta inquit, caritas, foras mittit timorem.* Nam qui præter Deum in rebus nihil agnoscit boni, extra illum re nulla vel possessa gaudet, vel dolet amissa, sic neque appetere, nec metuere aliquid extra Deum potest. Prius autem quam illa memoro in sensus, famamque se proferentia, intimæ effecta caritatis, commodum hic ponam de S. Xaverio, quod de Abrahamo Chrysostronus, cuius vbi narrasset discrimina, & calamitates inter Barbaras gentes ad quas illi dux fuerat Deus, hæc subiicit, *Cave putes illum quia facile paruit Deo, omnia illa sine doloris sensu perulisse, etiamsi enim decies millies iustus fuisset, sicut re vera erat, homo tamen erat, obnoxius nature affectionibus, quanquam nihil horum eum deiecit.* Non fuit profecto sensus obtusus, stuporue ingentis, sed generositas amoris, quæ Apostolum nostrum vocanti Deo præstitit obsequentem, cum destinatus in Indias, decreto eodem, in multa pericula, & ærumnas mortesque assiduas mitteretur, quæ summus Pontifex

In c. 1. 12. ad
corint.